



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

Inhaltsverzeichnis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

Sed & illa quanta est utilitas tentationis, qua Deo sic ordinante, ab ipso terribilissimo hoste nihil minus volente, coronæ, atque in ipsis fulgentissimæ gemmæ fabricantur? Ut mirari liceat siue utilitatem, & præmia patientis, siue benignitatem, & fortitudinem protegentis. Qui plura voluerit, legat sanctum Chrysostomum in prima Homilia ad populum Antiochenum de utilitate tentationum, & tribulationum. Nobis hæc pauca dixisse sufficiat, ut appareat quam merito, quamque sapienter petierit Propheta non quidem ne aliquo usque derelinqueretur, sed ne usquequaque.

Septimo,
ab ipso
hoste fa-
bricantur
coronæ.

¶ Beth, id est, Domus.

Octonarius Secundus.

¶ IN quo corrigit adolescentior
viam suam? in custodiendo
sermone tuos.

10 In toto corde meo exquisivi te:
ne repellas me à mādatis tuis.

11 In corde meo abscondi eloquia
tua: ut non peccem tibi.

12 Benedictus es Domine: doce me
iustificationes tuas.

- 13 In labijs meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui.
- 14 In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs.
- 15 In mandatis tuis exercebor: & considerabo vias tuas.
- 16 In iustificationibus tuis meditabor: non obiuiscar sermones tuos.
- 17 In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.

Hinc apparet vbique omnino necessariam esse custodiam sermonum Dei. Nam cum pluribus modis iste adolescentior accipi possit, omnibus tamen vias suas custodia verbi Dei corrigit, atque confirmat.

Adole-
scens ac-
cipitur
primò de
ætate.

Luc. 15.

Primum enim si accipiatur adolescentior in iuuenili ætate, quæ vitæ pars lubrica est, & periculis exposita, quomodo poterit iste vias suas corrigere nisi meditatione & obseruatione mandatorum Dei: Venit in mentem adolescentior ille filius, qui a Patre discedens prodegit patrimonium in regione longinqua egestate, & fame squallidus adhæsit vni ciuium Babylonis humi.